

iudicij dubium relinquunt, quam dubie-  
tatem expressit eleganter Satyricus his  
versibus:

*Conditor Iliades cantabitur atque Maronis  
Alcisoni dubiam facientia carmina palmã.*

DEMOSTHENES ET AESCHINES.

**A**Tque ut vnus locus, duos olim im-  
pacatos iungat aduersarios, supre-  
mam eloquij arcẽ inter Oratores Graios  
(quod nullus ambigit) possidet Demo-  
sthenes, proximam tenere videtur AE-  
schines. Horum est contentio illa famo-  
sissima, quæ vniuersam ferè Græciam au-  
diendi quondã desiderio suspendit, quod  
autem speciosius spectaculum incidisse  
poterat, quàm in eloquētissima natione,  
duos omnium ætatum excellentissimos  
Oratores, super rebus altissimis notorio  
& capitali odio dissidentes, de salute &  
gloria certaturos, in vnum ante condi-  
tum tempus & locum conuenisse? po-  
tius mirer, si non remotiores etiam po-  
pulos rumor exciuerit. In ea quidem a-  
ctione Demosthenes rei partes gessit, ita-  
que victus tandem accusator AEschines,  
& ob eam rem patria profugus, cum quo-  
dam tempore Rhodiorum precibus apud  
quos exuiabat suam primo, mox oratio-

actum